

Servitus A

Bonus etiam si servat liber est, malus autem et si regnat servus est, nec est unius hominis sed quod gravius est, tot dominorum, quot viciorum.

Augustinus libro 4. de civitate Dei.

Servitus B

Servit quicumque vel metu frangitur vel delectatione irritetur, vel cupiditatibus ducitur, vel indignatione exasperatur vel merore deiicitur, servilis enim est omnis passio.

Ambrosius de Iacob et vita beata libro 2.

Servitus C

Est sapienti servire libertas, ex quo colligitur quod stulto imparare servitus est et quod peius est, cum paucioribus presit, pluribus dominis et gravioribus servit. Servit enim propriis passionibus, servit suis cupiditatibus, quarum dominatio nec nocte nec die fugari potest, quia intra se dominos habet, intra servicium pacitur intollerabile.

Hieronymus in epistola ad Simplicianum.

Servitus D

O extrema condicio servitutis natura liberos genuit, sed fortuna servos constituit servus cogitur paci; et nemo finitur compati, dolere compellitur, et nemo condolere permittitur. Sic ipse vero servus est, ut nemo sit sibi miserisque castra sequuntur et miserum est aliena vivere quadra.

Innocencius de vilitate condicionis humane.

Servitus E

Qui servitutem contempserit in qualibet turba dominancium liber est.

Seneca 28. epistola.

Servitus F

Servi sunt immo homines, servi sunt immo contubernales, servi sunt immo humiles amici, servi sunt immo conservi. Si cogitaveris tantumdem in utrosque licere fortune. Itaque dirideo istos qui turpe existimant cum servo suo cenare. Superbissima enim consuetudo cenanti domino stancium servorum turbam circumdedit maiestatis sue diminucionem putant ad eandem mensam cum servo accedere.

Seneca 47. epistola.

Servitus G

Infelicibus servis movere labia ne hoc quidem ut loquantur licet sed sic sit ut isti de domino loquantur, quibus coram domino loqui non licet. Ac illi quibus non tantum coram dominis sed cum ipsis erat sermo, quorum hos non consuebatur parati erant pro domino porrigere cervicem, in conviviis loquebantur, sed in tormentis tacebant.

Ibidem.

Servitus H

Vis tu cogitare illum quem servum tuum vocas ex eisdem seminibus ortum, eodem frui celo, eque spirare, eque vivere, eque mori, tam tu illum ingenium videre potes quam ille te servum. Stare ante limen calixti dominum suum vidi et aliis intransibus excludi, marciana clade multos splendidissime natos fortuna depressit, alium ex illis pastorem alium custodem case fecit.

Seneca ibidem.

Servitus I

Si cum inferiore vivas quemadmodum superiorem tecum vivere velis. Quociens in mentem venerit quantum tibi in servum liceat, veniat in mentem tantumdem in te domino tuo licere. Ac ego inquis nullum habeo dominum; bona etas est forsitan habebis. Nescis qua etate Hecuba servire ceperit, qua Cresus, qua Darii mater, qua Plato, qua Diogenes.

Seneca ibidem.

Servitus K

Erras si existimas me quosdam quasi sordidioris opere reiecturum utpote illum mulionem et illum bubulcum non ministeriis illos estimabo sed moribus. Sibi quisque dat mores ministeria casus assignat.

Seneca ibidem.

Servitus L

Servus est sed fortasse liber animo, servus est, ostende quis non sit, alius libidini, alius avaricie, alius ambicioni, omnes timori. Nulla servitus turpior est quam voluntaria.

Seneca 47. epistola.

Servitus M

Paucos servitus, plures servitatem tenent.

Seneca 22. epistola.

Servitus N

Qui in seruos suos irascitur et crudelis est, satis ostendit potestatem adversus alienos sibi defuisse.

Seneca libro de moribus.

Servitus O

Servis tuis hilarem te prestes non superbe superiorem te colant potius quam timeant.

Seneca 47. epistola.

Servitus P

Si quis existimat servitatem in totum hominem descendere, pars eius melior est excepta, corpora obnoxia sunt et ascripta dominis, mens quidem sui iuris est.

Seneca 3. de beneficiis.

Servitus Q

Plerique hominum stulti sunt qui serviles cibos et servilem fugiunt vestem serviles mores non fugiunt.

Seneca de moribus.

Servitus R

Liberi servique personam veritas separat, servum liberumque mendacium miscet.

Ibidem.

Servitus S

Cum Diogenes ex libertate in servitutem venderetur, et eum quidam emere vellet quid servitutis sciret percunctatus est. Respondit novi inquit hominibus liberis imperare, ac ille eum manumisit filiosque ei tradens, accipe inquit liberos meos quibus impetres.

Agellius libro 2.